

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Desidia. Emblema LXXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Neronis
immanis
libido.

bus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequat? vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Videamus aliud monstrum. Nero Imperator Sporum puerum excitis testibus in muliebrem naturam vertere conatus est: addita dos, additum flammeum, addita celeberrima nuptiarum solennitas. Quid multis? palam pro vxore habuit. Hinc non insecutus cuiusdam iocus: Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius Neronis pater talem habuisset vxorem. Inter Gallos olim id malum posticæ Veneris adeo insecuisse memoria proditum est: vt inde nefaria sanciretur lex, ne cui duxisse vxorem liceret, qui prius vxoriam non impleisset functionem. Longè secus nostra Germania, quæ licet bibula, sordida, suspiciosa, superba (quod vltimum ipsi Alexander Magnus

exprobrauit) apud alias gentes audiat, tamen ipsa nefariæ libidinis huius nota nunquam iure inuri potuit. Rectè; nam tanta huius rei turpitudine est, tantum dedecus, vt mortem potius eligendam, quàm tale quid parrandum, Paulus respondeat in l. isti quidem 8. ff. de eo quod metus causa. Sed de hoc nefando crimine, propter quod ira Dei venit in filios diffidentia: & quo ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, violatur: cum eadem natura, cuius ipse auctor est, libidinis perueritate polluitur; nihil dicam amplius, cum vel solum ipsius nomen chartas quodammodo inquinat. Videri tamen poterit Iul. Clarus lib. 5. sentent. §. Sodomia. Iacob. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 3. casu 286. & Cæli Rhodig. lib. 15. cap. 9. & 10.

Sodomia
enormis
casus

Desidia.

EMBLEMA LXXXI.



DES I.

Emblemata.

357

DESIDET in modio Effaus, speculatur & astra
 Subtus & accensam contegit igne facem.
 Segnitius specie recti velata cucullo,
 Non se, non alios utilitate inuat.

COMMENTARI I.

I SENEX habitu Iudaico insidet inuer.
 fo modio, & vultu ad caelos cleuato sifera
 contemplatur: sub modio autem absconditam
 habet facem, quae tamen fumo euaporante
 proditur.

II. Ex vno symbolo Pythagorico duo emblemata
 finxit Alciatus, praefens nimirum, & im
 mediatae subsequens, nam *desidere in modio*,
 & in *chionice figure sedem*. idem sonat,
 sed variè tamen accommodatur. Docemur
 autem eo symbolo, non debere nos in vita
 nostrae sportulis ita spem collocare, vt se
 de in eis statuta totum aetatis tempus ociose
 traducamus, sed aliquam ineamus rationem,
 vt nostra industria victum comparemus. neq;
 semper ab aliorum ope pendeamus. Hoc
 autem assequemur vita vel contemplatiua
 (vt vocant) vel actiua: quod his duobus
 emblematis ostendere Alciatum voluisse
 mihi planè persuasum est. Ac proinde hic
 locus mihi vltus est inter alios permultos
 dignus esse, qui maiore cura studioq; à
 nobis explicaretur. Sed mihi ea de re cogi
 tanti tam multa è multis & varijs occurrunt,
 vt verear ne quis me putet intemperanter
 abui studio, aut etiam plerisq; otiosus
 videri. Plutarchus

insidijs latitat & abditis viarum, vt praeuertat
 auxilia & annonam obsessis; com meatum
 enim interceptis caelestis alimentis, atq;
 aditus omnes claudit, ne salutarium ciborum,
 qui mentem pascunt, quidquam trāseat.
 Obstruit, inquam, canales sensuum & con
 supat, aurium inprimis, quae sunt velut
 praetoriae duae portae castrorum in humana
 hac acie, ne riuos deferant diuini fluminis
 ad interiora cordis, & laxè sitim. Ita fit,
 vt pigro lentore sterrens subsidat paulatim
 in fœces natiuus humor & vitalis, donec
 expiret tandem & emoriatur, vt lychnus,
 ardens subtracto pingui. Grande malum hoc
 & penè desperandum, truncum enim facit,
 & hominem vertit in non hominem, vt
 simulacho simillimus fiat & insensibili
 statuae, qui hoc obsessus. Aurea habet quidem,
 sed surdas, os, sed mutū, oculos, sed caecos;
 pedes, sed claudos; manus rigidas & quae
 nihil palpant, vestigia ipsū & inania
 organa, qualia in caduere. Clama, in
 sta, obiturga, increpa, imò compelle,
 verbera, cum mortuo agis; stipes est, lapis
 est, sensu caret, nec Deū, nec homines
 audit; nec raiis, nec penis tægitur, nec
 tonantem nec fulminatē metuit, sicut mor
 tis, ita eorum quae sequuntur, securus. Cur
 ita? quia fax & ignis, qui mentem vegetat,
 extinctus est, aut certè lentore suppressus.
 Quod si quis fortasse dubitat, cur Hesiodus
 & ipse Maro dicant Ionem ab hominibus
 ignem remouisse, facilis est responsio. Eis
 enim & solertia humani animi difficilis
 est inuentu, quòd hebetiore ingenio si
 mus: adeò nihil tam excellēs & preclarum
 sine magno aliquo labore vita dedit mor
 talibus. Contegunt ergo cenobitae otiosū
 ac languidi facem accensam sub pallio,
 nullis artibus, aut studijs honestis ani
 mum applicantes, nulla sua industria ac
 diligētia notiones animi exercentes, vt
 non minus verè quàm rectè in eos id
 Plautinum conuerti possit.

Facem accensam tegere quid, & quid per ignem intelligatur.

4. Decretorum de anima disputans ex Democrito, ignitum quiddam esse ait ex naturis concretis mente perceptis, globosas ideas, quae habeant igneam facultatem, idque corpus esse. Succurrit id Lactantij è 2. cap. 3. Quòd si anima ignis est, in cœlum debet emitti, sicut ignis, ne extingatur, hoc est, ad immortalitatem, quae in cœlo est. Virgil. in 6.

Ignis est ollis vigor, & caelestis origo seminibus.

Hesiodus, & eius interpretes, ab ea opinione non recedunt, cum aiunt, Prometheum ignem caelestem elepsisse, quem simulacro à se confectio apponit, vt animatum fieret, ea enim mens est, quae molem agit, & toro se corpore miscet. Quod si obrepat ignia, facile hunc ignem deprimat, nec sensus ad alta ferri permittit: hac enim in

Summa ingenia in occulto latent.

Ad ea, quae de igni, vel ardenti facula iam

Z. 3. dicta

Ignis efficitur.



dicta sunt, adijcerem lubens quae Plutar-
ch. disputat Commentario. An rectè di-
ctum *λαδὸς βίβλας*: eo etiam, qui est de cu-
piditate diuinitatum. Sed maximè iuuat lo-
cus ille Problematum, quo ait, veteres ob-
secris vsos rationibus, potissimùm in re-
bus sacris, lucernam corpori animam con-
tinenti similem dixisse. Lux enim est, in-
quit, qui intus est animas, &c.

III. Desidero.

DESIDET in modio] vitâ ignauam du-
cit. Cicero proinde in Verrinis dixit per
Metaphoram ignauis consentaneâ: Quid
sedes Verres? quid spectas? Idem in Pilo-
nem: An potest vlla exculatio esse, nō dico
malè sentienti, sed redenti, cunctanti, dor-
mienti in maximo Reip. motu consuli? Eo-
dem sensu Hesiod. ait, *spem non binam, vi-
rum indigentem tenere, sedentem in taber-
na, cui victus sufficiens non sit:*

*ἐλπίς δ' ἐν ἀγαθῇ κερημένον ἀνδρῶν
κομιζέει.*

ἤμενον ἢ λίσση, τῷ μὴ βίος ἀρκεῖ ἐν.
Sed & Demolthen. 2. Olymp. Atheniensibus
succenset, eosq; sedere dicit, & Philippi
potentiam non attendere. Sic enim: *ἀλλ'
οἶμαι καθήμεθα, εἰδὲν ποιεῖντες*, &c. *De-
sidere in modio*, pro ignaui signo superius
posuit, in simulacrum Spei:

Cur in dolioli tegmine pigra sedes?
Leg: Pierium Hieroglyphic. lib. 56.

Essaius

Essaius] Eliaei, Iudaei fuerunt, ab alijs vi-
tae seueritate, ieiunijs & institutis quibus-
dam differentes. De ijs Philo Iudaeus, Eu-
sebius de preparat. Euang. & Philastrius
in catalogo haeres. Quid si Aletatus noster
per Eliaem Pharisaeos intelligat, sectam à
caeteris Iudaeis separatam; quae q; sob hypo-
critisim *paries dealbatus* dicitur in factis lit-
teris: Ego sanè nihil ab hac opinione ab-
horreo:

Speculatur & aspera] vt qui religionem
profiteatur, *θεωροῦντι κινῶ* quandam praese-
kerens. Sic supra de spe:

Qua Doa tam lato suspèctans sidera vultu?

Subtus & accensam contigit igne facem] re-
egit faculam ardentem sub modio: vires
ingenij non exerit, sed hebescere patitur.

In diuinis literis modius hieroglyphicum
est doctrinae Iudaicae, veritatis lumen sub
co recondentis, sicut explicat Hilarius in
Matthaeum. Id verò petium est è So-
cratis apophthegmate: *ὅυτε πῦρ ἰμα-
τίῳ περιέβαλον δύναντον, οὔτε αἰσχροῦ ἀ-
μαρτήματα χροῖα* Neq; ignem veste, nec tur-

Modius
quid in
sacris.

pe aliquod delictum tempore occulere pos-
sibile est. Quò refero adagium, *Sub tunica
& sinu*. de ijs, quae occultè fiunt, non palā
& in propatulo: & *Manum habere sub pal-
lio*. pro eo quod est, languere otio.

Segnitias vellata cucullo] Satis manife-
stè taxat hic cenobitarum quorundam de-
fidiam.

Non se, non alios iuuat.] Proinde ex ter-
tio illo genere hominum, quod Hesiodus
assignat. Cicero 2. Offic. Quamobrem cō-
temnuntur ij, qui nec sibi, nec alijs pro-
sunt, vt dicitur: in quibus nullus labor, nul-
la cura, nulla industria est. Lege proverb.
Nec sibi, nec alijs utilis.

NON me fugit, hoc schema non inco-
modè torqueri posse in eos, qui non credi-
tam sibi eruditionis & ingenij dotem ali-
quam excellentem miserè negligunt, idq;
non referunt ad vsum, cuius potissimum
gratiam norunt sibi esse demmandatum &
commisum à summo & prepotenti bono-
rum omnium auctore Deo; tamen, nisi me
fallit animus, videtur hoc reuera tortum
esse in desides quosdam cenobitas, qui *θεο-
πλας* imaginem aliquam professi, ignaui-
sima atatem terunt: literas aspernantur; aut
certè non magni faciunt, quamquam alio-
qui valeant ingenio, & non parua naturae
dexteritate: iners omnino genus, & fruges
consumere natum, & ex tertio illo homi-
num genere, quod assignat. Hesiodus, me-
ritò dixerim, cum nec sibi, nec alijs com-
modum aliquod referant. Quod ipsum ta-
men velim equis auribus accipi, non enim
is sum, qui ausim; aut etiam velim carpe-
re instituta illa vetera primùm quidem à
sapientissimis inducta patribus, nostrae pie-
tatis Christianae antesignanis & vindicibus,
quorum tanta est apud nos auctoritas, vt
inuercredum esset, ne dicam impium, eo-
rum vitam, pietatem, doctrinam, fidem nō
probare, non colere, non amplexari. Vt er-
go aperte dicam quod sentio ea de re: hic
ab Alciato, à me, ab alijs etiam, quibus sim-
plex, minimeq; fucatus est animus, nullo
modo reprehenditur monachorum insti-
tutum & regula, sed multorum ex ijs o-
tium, ignauias, imperitia notatur; quippe
qui eo nomine pessimè de se, deque alijs
mereantur. Iactentij quantumvis sui or-
dinis suarumq; legum antiquam dignita-
tem & sanctimoniam, nisi enim se similes
ijs praestiterint, qui laboribus, vigilijs, ita-
dijs

IV.

Quorum-
dam cen-
obitarū
desidia.

dijs, ieiunijs, omni deniq; patientiæ laude Christianum nomen auxerunt & amplificaverunt, non video qua ratione digni habeatur eo, quod fuit honorificū apud præcos, monachi nomine, quod illi sua vecordia & inertia, ne quid dicam grauius, in contemptum adducunt. Vtinam verò vt cōtinuò solent insolescere ob veterum illorum patrum admirabilem toti posteritati religionem, ita eorundem vitæ institutum amularentur: nō enim misero & infelici otio se ita dederent, vt *δὴ δὴ παρὲν* abesse ab ijs, quos ad piæ vitæ religiosæq; institutionem se imitari dicitant. Sed ne abeam longius, quid laboriosus excogitari, quid sanctius, quid diuinus in terris fingi aut audiri potuit, quàm fuit illa verè ac meritò laudata priorum monachorum vitæ ratio? quod purius aut vberius olim ecclesia seminarium clarorum viròrum habuit, quàm quod à cœnobijs, mandris illis & eremis ductum fuit? Nunç verò, Deus optime? quàm abstimus à prima illa canaq; religione, cūm qui se uerioribus institutis sese obligent, non tam pietatem quàm otium, non tam solitudinem meditandiq; de rebus diuinis opportunitatem, quàm desideriosam vitam sibi proponant. Talis olim fuit Seruilius Vacia, vir prætorius ac prædices, qui odio negotiorum abdiderat se in villam suam, quàm habebat non procul à Cumis, nec alia re notus fuit, quàm eius villæ ocio. Itaq; qui negocijs premebantur, exclamare solebant: O Vacia, solus scis viuere. Huius tam ignauium & sine literis ocium damnans Seneca, epist. 51, negat illum scire viuere, sed latere. Eoq; nunquam villam præterfens, ioco dicere solebat: Hic situs est Vacia, subindicans,

nihil interesse inter mortuū, & inermi octo abditū. Ah quàm vereor, ne idem verè dici possit de multis, qui sub religionis specie præstantissimas ingenij dotes sepeliunt. At id quidem certè pluribus exaggerare videtur esse non modò superuacaneū, sed & intempestiuum; quādoquidem notius sit, quàm vt confirmare habeam, ne videar iniquius in eos debacchari, quos ad meliorem frugem reuocare laboris esset infiniti, & penè ἀδύνατον: admonere, intempestiuum & quidem importunum: reprehendere, prorsus odiosum, & perinde non omnibus gratum. Hac enim tempestate sic omnia sūt exulcerata, sic lubrica & peruicacia, vt quoquò te veritas, vel etiam nolēs, experiaris te per ignes inceperis suppositos cineri doloso; & quicquid in eiusmodi quorūdam hominum negotio velis attingere, vlcus & vomitum citissimè deprehendas, adeò sub omni lapide dormit scorpium. Quamobrem satius esse duco malum bene conditum nō mouere, & huius ordinis viros bonos (quos tamen paucos, & colēdos, & excolendos esse puto) à malorū fece semper abstrahendos & eximendos vnice volo, ne errore quodam populari pro vitio virtus crimina sepe ferat. Quod si qui monachi (vt sunt ex ijs quidam boni viri, sed non satis eruditi) dicant id à paganis auctoribus malè detortum, ne videar verbo molestus, quippè qui fausta omnia illis precari non desino, euolant quæso diligenter magni ac sancti viri Chrylostomi Christianam sententiam, ad illum sacri Euangelii locum, *Lucent lux vestra, &c.* Hunc enim Chrylostomum iudicem honorariū admiserint, nihil dico amplius, causa dicta est.

Seruilius
Vacia.

